

[41]. *De restituzione facienda si dampnum aduenerit patronis tarretarum in quibus fuerint peregrini.*

Volumus quod si aliquod dampnum alicui tarrete aduenerit, mercatoribus nauilate, in qua peregrini existent, in suis corredis, fiat restitucio ipsius dampni secundum quod uenerit pro ratione tocius quantitatis peregrinorum et mercatorum, ut in statuto nauium continetur.

St. Zen, LXXVIII.

[42]. *De marinariis retinendis si relinquenterint tarretas.*

Mandamus quod si aliquis marinarius contra pactum conuen^{||} cionis uoluerit relinquere tarretam, licitum sit c. 258. patrono ipsum marinarium retinere ut in statuto nauium continetur.

St. Zen, LXXX.

[43]. *De penna quam incurrrunt patroni si non faciunt paccamentum marinariis.*

Ordinamus quod si patroni ad statutum terminum marinariis non fecerint paccamentum, et tunc in antea teneantur patroni ipsum paccamentum in duplum marinariis restaurare.

St. Zen, LXXXI.

[44]. *De tarretis que ex pacto ybernare debent.*

Statuimus quod tarreta nauilizata transmeare ad partes Romanie, uel ultra mare uel ad alias partes, que ex pacto cum marinariis ybernare tenetur ibidem, et huc reuerti; et aliquid iungi debuerit tarrete et marinariis pro ybernare, et aduenerit quod ipsa tarreta, eundo ad alias partes de comuni uoluntate, debeat ybernare; uolumus^{||} c. 258* quod in illo loco in quo (a) taliter ybernauerit ipsa tarreta,

(a) *in quo* agg. in margine.